

℞. Polypodii quercini ℥iv.

Zingiber. lib. j.

✕ Optimi lib. vi.

infunduntur omnia per horas 24. sitque expressio.

Colaturæ add. fol. Sennæ ℥iiib.

Passularum mundatarum vel exacinarum ℥iiib.

Cinamom. ℥iii. Infundantur in dictam colaturam per 24. horas in vase vitreo lento igni, & facta colatura servatur usui.

GUMMI AMMONIACUM.

HOc Gummi ammoniacum est exoticum, cresceas in planta quadam ferulacea ammoniacifera, uti habet AUCTOR: Electionem idem habet. Observetur de hoc quoad usum, quod sit unum ex primariis simplicibus. *emollientibus ac tumores duros scirrhosos & similes potenter attenuantibus atq; referantibus. Concretiones quas in corporibus dissolvit, & vias exinde obstructas potenter aperit.* Unde frequenter adhibetur usu interno in *scirrhosis viscerum*, & usus externi frequentissimi est in *tumoribus scirrhosis & duris*, sive ammoniacum solum applicetur, sive permisceatur cum Emplastro de Cicuta. Unde etiam Emplastrum AQUAPENDENTIS ex Gummi Ammoniaco egregium est externè applicatum in *scirrhosis ac indurationibus lienis desperatis*. Vid. SENNERT. lib. 3. prax. p. 492. Ubi de scirrhohienis. & certum est, quod Gummi ammoniacum sit egregium resolvens & indurationes attenuans & incidens. Unde etiam interno usu in *asthmate* à materia crassa & viscida, est egregium remedium, sive stabuletur in stomacho sive in bronchiis pulmonum; nam in utroque loco potest inducere *asthma*: In tali *asthmate* potionem expertissimam habet BRUNNERUS, cujus descriptionem vide ap. SENNERT. lib. 2. prax. p. 328. Sane egregia est in *asthmate ac incipiente catarrho suffocativo* ut & elegans potiuncula: incidit enim materiam crassam ac viscidam potenter. Potest meliorari si scilicet

℞. Gummi Ammoniac. ℥iβ.

Oxymellis Scyllitici ℥iβ.

Croci ℥j.

Et hæc misceantur cum ∇ appropriata v. gr. ∇ hyslopi, ∇ Nicotianæ & similibus, ut fiat potio pro aliquot dosibus. Sic etiam B. D. MICH. præparavit spiritum Asthmaticum, qui fuit factus ex

Viridis aris v. gr. ℥iv.

Gummi ammon. ℥ij.

∆is ℥iβ.

Hæc invicem mista & destillata ex arena per retortam dant spiritum acidum penetrantissimum, & Ol. admodum fœtidum, quæ invicem separantur, & sp. rectificatur: Observetur autem ignis regimè in hoc legitimum, nam aliàs omnia infringuntur. Egregiè hic incidit pituitam viscidam tã in ventriculo quàm in pulmonibus: In *affectionibus stomachi* miscetur cum Elixir stomachali, in *affectionibus pectoris* cum Elixir pectorali, & mirum quantum faciat in acida tenaci ac viscida pituita temperanda, adeò ut in *affectionibus stomachi & pectoris* eo vix detur par remediũ. Certè in *quibuscunq; obstructionibus*. à materia viscida est expertissimum Gummi ammoniacum. Unde vel nudè & crudè potum solet conducere: Cum Acet. appropriato mistum, quale est imprimis Acet. menthæ, ∇ vel Syrupus, vel aliis pro vehiculo, internè usurpatur quocunq; in casu. Propterea prostant in officinis PILULÆ DE AMMONIACO QUERCETANI, quæ conveniunt in *expurganda materia*

crassa ac viscida, & imprimis in affectionibus hypochondriacis & Melancholicis: sicuti etiam BONTIUS in *Medicina Indorum* habet pilulas de ammoniaco, quas commendat valdè in *affectionibus splenis*. BARTHOLETUS in *Encyclop. lib. 5. cap. ult.* habet LAC AMMONIAC. paratum cum Acet. ex citri succo destillato: elegans remedium in *incidendis duris tumoribus*.

GUMMI SEU RESINA ANIMÆ.

Est elegans Gummi sudoriferum & suaveolens: à WORMIO in *Museo* refertur inter balsama. Differentia vid. in AUCTORE: adfertur ex India occidentali ex insula ejusdè Hispaniola. Hoc gummi animæ imprimis *nervis conducit & affectibus nervorum*: imprimis in *vulneribus capitis* est egregium, & miscetur commodè cum Emplastris Cephalicis & nervinis. In *suffimigiis catarrhalibus* est unum & elegans ex primariis ingredientibus. Ita in *Coryza* suffitus ex Gummi animæ est expertus & probatus: vel etiam Ol. destillatum olfactum valdè potenter conducit in eadè *Coryza*. In Emplastris Cephalicis bregmati capitis applicandis in *affectionibus capitis* est unum ex primariis ingredientibus: in *affectionibus partium paralyticis* & sic porro vid. AUCTOR.

GUMMI ARABICUM.

De hoc est controversia. Veteres Gummi Arabicum desumpserunt ex acacia Ægyptiaca, dũ exsudat ex ipsa, ex Arabia Ægypti collectum, unde & nomen habet: Moderni inquirunt, quod non habeamus amplius verum & legitimum Gummi arabicum, sed loco illius substituendum putant, quod transludat ex arboribus Perlicorũ, Cerasorum, prunorũ & similibus, & quidè præprimis id adhibendum esse, quod ex prunis. Paucissimi affirmant, plurimi contrarium statuunt. Optimè facit TOBIAS ALDINUS, in *horto Farnesiano sect. 2. p. 18.* ubi tractat de acacia Ægyptiaca, & ibidem controversiã habet & affirmat, quod gummi arabicum nostrum sit genuinum Gummi arabicum. De adulteratione & reliquis videatur AUCTOR. Imprimis convenit in *affectionibus faucium* & in *asperitate aspera arteria*, uti etiam in *pleuritide*, in qua imprimis convenit, si recipiatur pomũ, quod excavetur & impleatur gummi arabico, coquatur ad ignè & coctũ ita assumatur: egregium remedium est in *pleuritide sive tussim sedantibus*. De hoc, ubi de Thure, plura. Præscribitur in pilulis Bechicis & Lohoch sive Linctibus, quoniam *asperitatem faucium lenit, & lympham acrimoniam temperat.*

ASA FOETIDA.

Est succus seu lacryma destillans ex planta quadam, quæ crescit in Lybia: Unde à quibusdã vocatur SUCCUS LYBICUS, seu etiam SYRIACUS. Olim appellatus fuit SUCCUS CYRENIACUS, quoniam ex Cyreniaco agro copiosissimè fuit advectus, quo ipso tamen hoc tempore careant. Asa fœtida est vel clara pellucida, & limpida, vel est obscura & turbida, quæ dicitur *Teuffelsdreck* / de quo vid. WORMIUS in *Museo*. Ubi de ea non inconcinnè agit. Quoad facultates notum est, quod usurpetur in *suffocatione uterina*. Cum Castoreo tã in substantia, quàm suffitu, & quidè vel in substantia crassa, sive in forma Ess. Observetur autè hîc, quod ò in omnib. conveniant graveolentia & fœtida in suffocatione uterina: prostant enim exempla læsarũ ex illis: sicuti nec omnes ferre possunt Suaveolentia, nec omnes læduntur ab illis. Alij juvantur ab ambra, zibetho aliisq; suaveolentibus, aliæ rursus juvantur à fœtidis & graveolentibus. Post suffocationem uterina

* P 2

rinam